

actum entitativum, in antecessum exierit, quo distinctis cogitationum actibus indistincta materia concipitur; eam verò principaliter forma quædam in Phÿsicis actu distincta suscitatur & in realem actum deducit. Unde Materia Formam (sicut Numerus Essentiam) tantopere dicitur affectare, ipsaque forma quævis è potentia materiæ semper educi concipitur. Quæ omnia subtile quidem, sed nudum artificium cogitandi de corpore signatè spectato sapiunt.

§. 6. *Materia secunda* subdistingui potest in *remotam* & *proximam*. Utraque nihil aliud est, quam remissè distinctus & simul indiscretus subjecti conceptus, qui ab ulteriori modalitate, quam re ipsa tamen admittit & habet, præscindit, hoc est, quam non attendit; anteriorem tamen modalitatem expressè dicit & conceptu simul involvit. Ita lapidis materia secunda sunt partes aqueæ, terreæ, limus & evaporationes, ex quibus coalescit, quatenus sine distinctione ulteriori, præsertim autem sine specificâ forma lapidis, hæc omnia spectantur; & è contrariò, quatenus distinctas rationes anteriores v. g. terreitatem, aqueitatem & reliquas, expressè vel tacitè simul involvunt. Unde jam in antecessum patet, quod in eadem re materialia cum formalibus coincidunt, cum distinctæ rationes eadem, alio saltem respectu, statim sint indistinctæ rationes, differentiâ tantum in quantitativis respectivis (in *τὸ magis & minus*) hærente.

Proximam autem materiam imprimis eam dicimus, ex qua præexistente corpus aliud proximè componitur, estque nihil aliud, quam ipsum corpus aliquod certum & præexistens, quod transformatum transit in nomen & rationem aliis inde constituti.

§. 7. Scilicet quodcunque Subjectum certo modo formatum præexistat; illud, si transformetur, materiam secundam, & quidem proximam, posteriori corpori largitur, quod ex illo transformato formatur. Potestque nonnunquam circulus committi; ut unum alteri, (nimirum quod antea posterius erat, tum priori; nunc tamen illud, ut prius, huic, ut posteriori) materiam secundam vicissim præstet: quod facile quilibet intelligit, ut hoc non in omnibus rebus æquè commodè procedat, si naturæ ductum ordinarium sequaris, ubi v. g. ex arenâ vitrum facilius, quam arenam ex vitro, resultare videbis; extra ordinem autem, si Motoris primi potentiam absolutam re-
spi-